

## FERDINANDI I. IMPER. &amp; REGIS DECRETUM XIX. ANNI 1559.

*Subsidii exigendi modus praescribitur.*

## A r t i c u l u s 12.

§. 7. Caeterum Valachi, Rutheni, ac Rasciani, quicumque sessionati coloni sunt, et census praestant Dominis eorum; quemadmodum reliqui coloni sessionati, connumerentur et dicentur \*).

*Metae et limites Regni, undiquaque per Commissarios Regis revideantur.*

## A r t i c u l u s 48.

Et quum non parvae fidelibus Suae Majestatis, Ungaris, ac Sclavis et Croatis, intercedant differentiae, ratione metarum et limitum Regni, cum Moraviae versus Szakoleczam; item Carinthia, Styria et etiam Polonia:

§. 1. Supplicatur Majestati Suae Caesareae, dignetur, certificato hac de re Serenissimo Rege Poloniae; ac praefixo Moravis quoque et Carinthiis, ac Styriis certo termino, deputare Commissarios:

§. 2. Qui revisis ejusmodi metis, atque limitibus, illos rectificent; quemadmodum se Majestas Sua in aliquot Diaetis gratiose facturam obtulit.

## FERDINANDI I. IMPER. &amp; REGIS DECRETUM XX. ANNI 1563.

*Judicia Regni Sclavoniae.*

## A r t i c u l u s 26.

Judicia Regni Sclavoniae, inchoentur pro Dominica Invocavit \*\*), anni proxime sequentis; erumque Appellationes fiant eo modo, quo ab antiquo fuit consuetum \*\*\*).

## MAXIMILIANI IMPER. &amp; REGIS DECRETUM I. ANNI 1566.

*Nova Connumeratio.*

## A r t i c u l u s 5.

§. 2. Necessae tamen judicant Status et Ordines, (prout etiam decernunt) ut nova fiat hoc anno connumeratio: Excepta Sclavonia, quae proxime elapso Januario, primum noviter connumerata dicitur.

*Judiciorum celebratio.*

## A r t i c u l u s 21.

§. 3. Judicia quoque Regni Sclavoniae, celebrentur pro festo Epiphaniarum Domini proxime venturo, durentque ad Dominicam usque Carnisprivii.

\*) Conformiter; ad An. 1557. a. 3. §. fin.

\*\*\*) Quae est prima Quadragesimae.

\*\*\*) Cursum posteriorem horum Judiciorum, discas praesertim ex An. 1723. a. 27. Et An. 1729. a. 31.